

DE HUMANISMO IURIDICO IN DOCTORIBUS SOCIETATIS JESU

SUMMARIUM: Saeculis XVI et XVII neo-scholastica sic dictae modernitati aperitur. Sancti Ignatii spiritu eius Societas Iesu adversus religiosum subiectivismum militat, novo verae libertatis sensu. De novo et fecundo personalismo agitur, cuius ope falsus subiectivismus cum item falso et rigido obiectivismo, per rectum iuridicum intersubiectivismum, debellatur. Quaedam praecipua exempla traduntur, ut in percelebri «De auxiliis» disputatione, humanae libertatis donum in opere LUIS DE MOLINA refulget; in practica theologia ac philosophia morali et in Probabilismi systemate splendet, in quo libertatis primum et certum ius ad solvendum dubium practicum praevallet, et denique in re iuridica verum ius subiectivum merito et recte extollitur, personalismum colendo. Nostra investigatio de iure subiectivo, ob eius momentum, praesertim agit et quidem, speciali modo, prout a MOLINA et a SUAREZ propugnatur ac evolvitur.

De christiano Humanismo, per renovatas Scholasticae vias, agitur. Veluti novus ortus adest. Nihil contra hoc sic dicti «Renacentistae» merito dicere possunt. AMBROSETTI huius novi christiani Humanismi peculiare characteres acute exponit¹.

Iuris Philosophia nondum his temporibus formaliter libera est. «Formaliter» dico, nam revera quoad substantiam nova «De iustitia et iure» et «De legibus» genera veram et profundissimam Iuris Philosophiam constituunt.

¹ G. AMBROSETTI, *Il diritto naturale della riforma cattolica*, Milano 1951.

Saeculum XVI et magna saeculi XVII pars illam catholicae Theologiae et Philosophiae scholasticae «Auream Aetatem» efformant. Propter operum copiam, varietatem ac momentum nullam aliam in Ecclesiae historia aetatem illi comparari posse historici unanimiter affirmant. Huius Aureae Aetatis maximos esse doctores hispanos historici etiam unanimiter tenent².

DIONISIO PETAU (Petavius) illorum magistrorum laborem optime expressit: «*evolvere et deducere quae apud antiquos compressa et involuta iacebant*». Sed nec hoc tantum. Hispani magistri magna hominis et christiani problemata excogitant, et quidem novis huius temporis ideis prudenter et profunde attenti, maximo critico spiritu, maxima critica ac scientifica libertate et maxima erga Ecclesiae doctrinam fidelitate.

Hispanorum Theologia et Philosophia illud Scholasticam inter et novum humanismum tam desideratum vinculum repraesentat. DIVUS THOMAS dux manet, minime autem ut eius magisterium serviliter repetant, sed novas quaestiones novasque his responsiones proponendo ac solvendo. In iis omnibus novo cultu humano procedunt et novas experientiae scientias colunt. Minime vera metaphysica relictas, novas vitae positivo-historicas vias quaerunt. Hominem ipsum, humanam personam, eius dignitatem, liberta-

² M. GRABMANN, *Historia de la Teología católica*, Madrid 1946, 181-245; WULF, *Histoire de la Philosophie médiévale*, Paris 1953; M. SOLANA, *Historia de la Filosofía Española*, Madrid 1941; MENEDEZ PELAYO, *De las vicisitudes de la Filosofía Platónica en España* (Obras completas. Ensayos de Crítica Filosófica), Santander 1948; H. ROMMEN, *Variaciones sobre la filosofía jurídica y política de Francisco Suárez*, S.J. in *Pensamiento* 4 (1948) 492-507.

tem et valores prae oculis semper habent³. Contra Novatorum determinismum profundam moralem et dogmaticam reformationem proponunt et in Tridentino Concilio et post Concilium humanam libertatem merito ac recte extollunt. Novum hominis ortum salutant, non ita tamen, ut hominem omnium initium ac radicem considerent, sed uti Dei creaturam, cuius dignitas, gratia Dei et Christi, Deum inter et mundum partes agat. Sic non tantum naturae conceptus sed praesertim creaturae conceptus extollitur, ita ut cum SANCTO AUGUSTINO homo verus «microzeós» nuncupari valeat⁴.

Ad hoc ut eorum Philosophiae, Theologiae dogmaticae, moralis, asceticae et mysticae spiritus bene calleatur, ipsorum humanismum recte intelligere oportet. Hoc sine humanistico spiritu, praesertim politica ac iuridica philosophia minime intelligitur. Nisi hic novus personalismi spiritus audiat nec percelebratas «*De Auxilis*» controversias, nec moralem et iuridicum Probabilismum nec ipsa mira Sti. Ignatii «*Spiritualia Exercitia*» recte perscrutari possumus. Societatis Iesu doctorum humanus et profundissime christianus modus, non ab omnibus, pro dolor, saltem in initio, recte perceptus est. Nostris his temporibus in Concilio Vaticano II ille humanochristianus modus clara luce refulget.

³ HOFFING, *Histoire de la Philosophie moderne*, Alcan 1908; E. LUÑO PEÑA, *Historia de la filosofía del derecho*, Barcelona 1955, 400s; G. SIATTA, *La scolastica del secolo XVI e la politica dei gesuiti*, Torino 1911.

⁴ S. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio* II, 6, 13; *Sermo* 43, 3-4 et *Sermo* 130, 4. De sapienti SUÁREZ AUGUSTINO subiectione cfr. L. VELA, *Suárez, Filósofo y Teólogo del Derecho*, Madrid 1967.

Ius subiectivum

MOLINA⁵, SUÁREZ⁶, VÁZQUEZ⁷, SALAS⁸, ARRIAGA⁹, TOLEDO¹⁰, VALENCIA¹¹, SÁNCHEZ¹², LUGO¹³, ESCOBAR Y MENDOZA¹⁴, ANTONIO PÉREZ¹⁵, CASTRO PALAO¹⁶,

⁵ L. DE MOLINA, *De Iustitia et iure*. Magni momenti et magni etiam ponderis opus sex volumina amplectens.

⁶ F. SUÁREZ, *Tractatus de Legibus, et legislatore Deo*. Maximi momenti opus in decem libros divisum.

⁷ G. VÁZQUEZ, *Commentariorum ac Disputationum in primam secundae Sancti Thomae*. Tractatus De Legibus in Disputatione 150 incipit usque ad Disputationem 185.

⁸ J. DE SALAS, *Commentaria in secundam secundae Divi Thomae*. De contractibus Dubia et Numeros tractatus amplectitur.

⁹ R. De Arriaga, *Disputationum theologicarum in primam secundae Divi Thomae*. Tomus quartus est De legibus 34 Disputationes continet in Sectiones, Subsectiones et Numeros divisas.

¹⁰ F. DE TOLEDO, *In Summam Sancti Thomae Theologiae Enarratio*, ex autographo in biblioteca Collegii Romani asservato, nunc primum edito a JOSEPHO PARIA e S.J. Tomus II, qui est in secundam secundae, Romae 1869.

¹¹ G. DE VALENCIA, *Commentariorum theologiarum et Disputationum in Summam Divi Thomae*. Tomus tertius, complectens materiam secundae secundae D. Thomae. Tractatus De Iustitia et eius speciebus ac vitiis contrariis, tum in iudicio, tum extra in variis prasertim contractibus. Divisus in quaestiones viginti tres. Quaestiones subdividuntur in Puncta.

¹² Th. Sanchez, *Conciliorum seu Opusculorum moralium volumina duo*, Lyon 1625. Primum volumen subtitulatur: De Iure et Iustitia... in Capita, Dubia et Numeros divisum.

¹³ J. DE LUGO, *Disputationum De Iustitia et Iure*. Tomus primus: De rerum dominio. Tomus secundus: De contractibus, Lyon 1652. Disputationes in Sectiones dividuntur.

¹⁴ A. ESCOBAR Y MENDOZA, *Libri Theologiae moralis viginti-quattuor*. Liber quintus: Leges; Liber decimus: Iustitia, Ius, Contractus in genere, Lyon 1663.

¹⁵ ANTONIO PÉREZ, *Tractatus de Iustitia et Iure et Restitutione et de Poenitentia*, opus posthumum, Romae 1668. Tractatus tres in Capita et Numeros divisi.

¹⁶ F. DE CASTRO PALAO, *Operis Moralis pars septima*. De

LEONARDO LEYS¹⁷ pluresque alii Societatis Iesu doctores optime de Iure agunt. HURTADO¹⁸, FAGÚNDEZ¹⁹, DICASTILLO²⁰ aliique merito iis adnumerari possunt.

Quoad Ius Subiectivum, quod magis nobis hic interest, MOLINA et SUÁREZ eminent. Quid hoc revera significet non ab omnibus plene intellectum fuit²¹.

Fatendum est horum aliorumque affirmationes et probationes adversus MOLINA et SUÁREZ minime cum eorum doctrina concordare²².

Iustitia et Iure, Lyon 1613. Tractatus in Disputationes, Puncta et Paragraphos dividitur.

¹⁷ L. LEYS, *De iustitia et iure caeterisque virtutibus cardinalibus*, Lovanii 1605. Vocatus «Lessius Latinus», saepissime a posterioribus citatur.

¹⁸ G. HURTADO, *Tractatus de Iustitia et Iure*, Madrid 1637. In Disputationes et haec in Difficultates dividitur.

¹⁹ E. FAGÚNDEZ, *De Iustitia et de Contractibus et de Acquisitione et Translatione Domini, libri septem*, Lyon 1641. Libri in Capita et haec in Puncta dividuntur.

²⁰ J. DE DICASTILLO, *De Iustitia et Iure caeterisque virtutibus cardinalibus, libri duo*, Anversa 1641. Tractatus in Disputationes, Dubia et Puncta dividitur.

²¹ F.N. CUEVILLAS, *Luis de Molina, el creador de la idea del derecho como facultad* in *Estudios Políticos* 75 (1954) 115; L. LACHANCE, *Le Concept de Droit selon Aristôte et S. Thomas*, Montréal et Paris 1933, 400S; J. DELOS, *La société internationale et les principes du Droit public*, Paris 1929, 231-260; V. CARRO, *Domingo Soto y el Derecho de gentes*, Madrid 1930, 183.

²² Quoad MOLINA eum a thomistica traditione separant, et quod absonum est, eum hodierno Individualismo favere dicunt. Qui ita iudicant, legant tantum Disputationem alteram primi *Tractatus De Iustitia et Iure* et praesertim Quaestiones 46-73 quinti Tractatus, et denuo iudicent. Legant etiam, quaeso, F. STEGMÜLLER, *Geschichte des Molinismus. I: Neue Molinaschriften* (Beitrag zur Geschichte der Philosophie und Theologie des Mittelalters XXXII), Münster i.W., 1935; E. LUÑO PEÑA, *Historia de la Filosofía del Derecho*, Barcelona 1955.

Quoad SUÁREZ Ius esse *to velle* humanae voluntatis nullibi asserit. LACHANCE aliique non recte legem inter et ius distinguere

Ius ut moralis facultas, Ius uti regula, Ius Subiectivum et Ius Obiectivum praecipui Iuris sensus et praecipuum iuridicarum scientiarum obiectum sunt.

Verba tamen non ideo apta logice videntur. Obiectivum enim et Subiectivum diversi unius analogicae relatitatis, Iuris nempe, aspectus nuncupantur. Omnis res et quaecumque actio obiective, in se, et subiective, in relatione ad personam, considerari possunt. Iurisconsulti, cum Ius in tractatibus De legibus considerant, Lex²³, Ius-regula²⁴, Ius normativum²⁵, Ius praeceptivum²⁶, Ius legale²⁷, Ius honestum²⁸, Ius

videntur. Ius enim, si uti lex sumitur, iustitiae regula est et ita quasi totius moralitatis regula. Sed hoc DIVUS THOMAS omnesque cum eo scholastici tenent. Cfr. v.g. D. SOTO, *De Iustitia et Iure*, Proemium. «*Aliquando vero*», ita SUÁREZ, «*ius significat legem, quae est regula honeste operandi et in rebus quamdam honestatem constituit et est ratio ipsius iuris priori modo sumpti*» (De leg., II, 17, 2). Hoc ius, priori modo sumptum, iustitiae obiectum et legis effectus, a SUÁREZ minime in voluntaristico sensu definitur, sed ut moralis facultas, a lege derivata, quae personis competit. Nominalistarum voluntaristicas theorias expresse ac vehementer reicit (De leg., II, 6, 4). Nec est cur immoremur in reiciendo voluntarismo false SUÁREZ assignato, cum quaestio sit a pluribus definitivo modo soluta. Cfr. v.g. DUMONT, Suárez, *Théologie pratique*, in *DTC*, XIV, 2 col. 2698, Paris 1941; E. JOMBART, *Le volontarisme de la loi d'après SUÁREZ*, in *Nouvelle Revue Theologique* 59 (1932) 34-44; J. DE BLIC, *Le volutarisme juridique chez SUÁREZ* in *Revue de Philosophie* 30 (1930) 213-230; E. GUERRERO, *Sobre el voluntarismo jurídico de SUÁREZ*, in *Pensamiento* 4 (1945) 447-470; A. ESTEBAN ROMERO, *La concepción suareciana de la ley*, Sevilla 1944.

²³ MOLINA, *De Iustitia et Iure*, Tract. I, disp. 2, 1; SUÁREZ, *De legibus*, I, 2, 6; II, 14, 16; II, 17, 2.

²⁴ SALMANTICENSES, *Cursus Theol. Mor.*, Tract. XII: De iustitia et iure, L, 1, 1.

²⁵ *Ibidem*.

²⁶ SUÁREZ, *De leg.*, II, 14, 16-18.

²⁷ SUÁREZ, *De leg.*, II, 17, 2.

²⁸ SUÁREZ, *De leg.*, II, 17, 2.

formale²⁹ nominant. Cum autem de Iure in Tractatibus De Iustitia et Iure agunt, Iustum³⁰, Ius-obiectum iustitiae³¹, Ius proprie et stricte dictum³², Ius reale³³, Ius utile³⁴, Ius dominativum³⁵, Ius-facultas³⁶, Ius, utpote iustitiae obiectum, obiectivum³⁷.

Haec postrema «*Ius obiectivum*» denominatio ab hodiernis canonistis, moralistis et scholasticis philosophis recipitur. Ratio tamen non omnino eadem est ac illa antiquorum. Nec eius praterea sensus plane cum hodierna civilistica, «iuridica norma», concordat. Ius obiectivum simpliciter per oppositionem ad Ius subiectivum sumunt. Nihil aliud, ut dixi, sunt nisi unius realitatis, Iuris scilicet uti iustitiae obiectum, diversi aspectus. In obiectivo sensu Ius est «suum», «proprium», rerum et operarum ad personas ordinatio. In subiectivo autem sensu Ius facultas moralis, personae dominium et potestas.

Clara ac systematica de Iure subiectivo tractatio, theologorum iurisconsultorum opus est, quorum MOLINA primus esse videtur, qui Ius subiectivum eiusque fundamentale momentum optime pertractavit³⁸.

²⁹ ANTONIO PÉREZ, *De iust. et iure*, I, 4 ss.

³⁰ Cfr. CATHREIN, *Philosophia Moralis in usum scholarum*, Barcelona 1945, 207.

³¹ *Ibidem* et cfr. F.J. OSSET, *El derecho subjetivo*, Madrid 1935.

³² *Ibidem*.

³³ SUÁREZ, *De leg.*, II, 17, 2.

³⁴ SUÁREZ, *De leg.*, II, 17, 2.

³⁵ SUÁREZ, *De leg.*, II, 14, 16-18.

³⁶ MOLINA, *De iust. et iure*, I, 2, 1; II, 1, 1; II, 127, 1; SUÁREZ *De leg.*, I, 2, 4-5; II, 17, 2; II, 18, 2.

³⁷ MOLINA, *De iust. et iure*, V, 49, 1.

³⁸ J. CASTAN TOBEÑAS, *Derechos subjetivos*, in *Nueva Enciclopedia Jurídica*, Barcelona 1945, t. VII, 102-103.

Viginti annis post, SUÁREZ in *De legibus* Ius Subiectivum etiam optime considerat³⁹. Theologi nostri saec. XVI et XVII, vero humanismo personalistico imbuti, Ius Subiectivum cogitant atque evolvunt: «*Nihil autem dicitur esse suum alicuius proprie nisi cum respectu ad libertatem et dominium*»⁴⁰. Ius ergo dominium, facultas et potestas est personae cui «*suum proprium pertinet*»⁴¹. Et Nostri ad Sacras Scripturas accedunt et in his Ius ut potestatem seu facultatem inveniunt: «*Date mihi ius sepulchri*» ... id est «*facultatem sepeliendi*»⁴². Jacob, cum ab eius socero discessit, secum «*quae iuris sui erant*» portavit⁴³ etc. Fons tamen praecipuus Romanum Ius est. Coeterum autem vocabulum «Ius» in Lexicon Iuris, lib. 9, cuius auctor BERNABÉ BRISSON est, consulatur⁴⁴.

³⁹ H. ROMMEN, *Variaciones sobre la filosofía jurídica de Francisco Suárez*, S.J., in *Pensamiento* 4 (1948) 498; *La teoría del Estado y de la Comunidad internacional en Francisco Suárez*, Madrid 1951, 97 et nota 10; P. BROUILLARD, *Suárez, La Théologie pratique*, in *DTC* 14, 2706-2707; P.H. HERING, O.P., nihil de «suarismo» suspectus et in *Angelicum*, recensio etiam non «suarismo» propinqua, demonstrat, pluribus locis adhibitis, DIVUM THOMAM Ius Subiectivum non ignorasse: cfr. *Angelicum*, mense aprili 1939, 295 s. Non ideo intelligitur quod P.V.D. VENANCIO, O.P. in eius opere *Domingo Soto y su doctrina jurídica*, Madrid 1943, asserit. Hac de causa clarus J. CASTAN TOBEÑAS in duobus articulis, in *Revista General de Legislación y Jurisprudencia*, Decembri 1949 et Febuario 1950 res in clara luce collocat. Quoad MOLINA res etiam optime clarificat M. FRAGA IRIBARNE, *Los seis libros de la justicia y el derecho*, Madrid 1941-46.

⁴⁰ ANTONIO PÉREZ, *De iust. et iure*, I, 3, 74.

⁴¹ H. ROMMEN, *Variaciones sobre la filosofía jurídica y política...*, in *Pensamiento* 4 (1948) 498.

⁴² SUÁREZ, *De leg.*, I, 2, 5 (Gen 23, 4).

⁴³ SUÁREZ, *Ibidem* (Gen, 31, 17).

⁴⁴ B. BRISSON, *De verborum quae ad ius pertinent significatio-*ne, libri XIX, Lyon 1559; *Observationum divini et humani iuris liber*, Lyon 1564. SUÁREZ Lexicon iuris cognovit et eo utitur.

Etsi SUÁREZ in Prooemio *De legibus* inter gravissimos scriptores GERSON collocet tamen is in *De vita spirituali animae* et in *De potestate ecclesiastica*, de Iure Subiectivo non ita recte agere videtur⁴⁵. Connexio Ius Obiectivum inter et Subiectivum pluribus, inter quos ipsi SUÁREZ, non placet, GERSON enim aliquantulum Ockamismo est imbutus⁴⁶. GERSON ae-

Etiam VALENCIA, qui in eius *Commentarium in Summam D. Thomae*, t. 3, disp. V, q. 1, p. 1, novem iuris significationes, a BRISSON citatas, enumerat. Exemplum unicum sufficiat: in titulo 8 Digesti seu Digestarum ius ut facultas quadraginta et sex vicibus apparet. Corpus Iuris Civilis (Institutiones, Digesta, Codex, Novellae) plurimum de iure ut facultate seu potestate agunt. Gaius, Ulpianus, Aulus Gelus, etc., saepe in eodem sensu citantur. De sensu et origine «*ius in re*» et «*ius ad rem*», «*actio in rem*», «*actio in personam*», cfr. VILLEY, *El derecho subjetivo y los sistemas jurídicos*, in *Revue historique de droit français et étranger* (1946-7) 211s. Quoad DIVUM THOMAM res clara non est, sed nec ipsi favet. Cfr. LEHU, *Philosophia moralis et socialis*, Paris 1914, 334; LOTTIN, *Le droit naturel chez S. Thomas et ses prédécesseurs*, Bruges 1931, 97. Utrumque saequuntur LACHANCE, *Le concept de Droit selon Aristôte et S. Thomas*, Montréal 1933, 401; VAN OVERBEKE, *De relatione ordinem iuridicum inter et moralem*, in *Ephemerides Lovanienses* 11 (1934) 298; BOUVIER, *Le précepte de l'aumône chez St. Thomas d'Aquin*, Montréal 1935, 129; LUMBRE-RAS, *De iustitia*, Roma 1938. Magni quidem momenti est legere MOLINA et SUÁREZ cum de iuris subiecto agunt. Cfr. MOLINA, *De iust. et iure*, I, 7; II, 1, 2 et praesertim II, 3 et II, 18; SUÁREZ, *De virtute et statu religionis tractatus*, I, 1. III, c. 4 et *De opere sex dierum*, l. III, c. 16.

⁴⁵ J. GERSON, *De potestate ecclesiastica*, Paris 1521; *De vita spirituali animae*, Paris 1521.

⁴⁶ GERSON v.g. scribit: «*Constat quod in praxibus moralibus recta ratio non est prior voluntate, ut non ideo Deus vult dare leges suas creaturae rationali, quia prius recta ratio sua iudicat hoc esse faciendum, sed e contra potius*». (*De vita spirituali*, III). «*Nihil est malum nisi quia prohibitum et nihil bonum quia a Deo acceptum, et Deus non ideo actus nostros vult vel approbat quia boni sunt, sed ideo boni sunt quia approbat*». (*De vita spir.*, I, 10).

quivocum acutissimus MOLINA statim vidit: «*Primo, quoniam recte dicimus, quia Petrus est dominus huius rei, habet facultatem perfecte de illa disponendi; e contrario vero non recte dicimus, quia habet facultatem perfecte disponendi de hac re, est dominus illius; sicut et non recte dicimus, quia habet facultatem ridendi est homo*»⁴⁷.

Conrado SUMMENHART DE CALM saepe a MOLINA⁴⁸ et a SUÁREZ⁴⁹ citatur et laudatur. Cum ipso tamen non concordant, nam nimis in aliquibus a GERSON pendet. Optime SUMMENHART ius relationem esse affirmat. Materialiter seu obiective consideratum ius est res ipsa seu actus relationis terminus. Relationis vero essentia est subiecti potestas circa rem vel actum. Potestas actualis et activa est, quae est verum «licere» propter legis dispositionem. Dominium est etiam, quia ius et dominium idem expriment. Relatio tamen, de qua SUMMERHART, nimis simplex est et ideo non vere iuridica, nam iuridica relatio duplex seu intersubiectiva est. Subiectum inter et obiectum relationi relatio subiecti «ad alteros» addi oportet. Potestas seu facultas aliorum debitum constituit. Potestas enim iuridica est semper erga alios potestas.

JUAN MAYR eius in tempore ut «parisiensium theologorum princeps» celebratus, a nostris etiam theologis citatur. «*Potestas, potentia licita, ius, dominium extenso vocabulo coincidunt*»⁵⁰ MAYR a GERSON

⁴⁷ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 3, 5.

⁴⁸ MOLINA, *Ib.*, II, 3, 6; II, 19, 1; II, 19, 6; II, 20, 3.

⁴⁹ SUÁREZ, *De leg.*, II, 14, 14; V, 5, II; V, 8, 5. Opus SUMMENHART magis citatum est *De contractibus*, Hageau 1500.

⁵⁰ J. MAYR, *In Quartum Sententiarum, quaestiones utilissimae*, Paris 1516; *In libros Sententiarum quaestiones utilissimae*, Paris 1518; MOLINA, *De iust. et iure*, II, 3, 6.

et a PETRO D'AILLY pendet et Ockamismo aliquantum est imbutus.

JUAN DRIEDO DE TURNHOUT ultimus, denique, a Nostris citatur cum de Iure Subiectivo agunt⁵¹. Scribit: «*Ius bifariam accipitur. Nunc pro lege veluti cum dicimus legem decalogi esse ius divinum ... Nunc pro dominio, veluti cum dicimus aliquem habere ius in possessionem vel in agrum*». «*Ius est potestas unius super alium*». Ius distinguit: «*unum reale sive in rem, quae non est persona ... Aliud vero esse ius personale sive in personam, ut ius paternum in filium...*». MOLINA DRIEDO novit⁵² et SUÁREZ saepe eum citat, praesertim in *De libertate Christiana*, in qua, ita SUÁREZ, «*erudite de omni genere legum disseruit*»⁵³ et DRIEDO inter «*gravissimos auctores*» collocat⁵⁴.

Theologorum «*De Iustitia et Iure Tractatus*» cum DIVI THOMAE q. 57, II, II interpretatione saepe incipiunt. Quaestio enuntiatur: *De iure, in quartos articulos divisa*. Articulus primus: *Utrum ius sit obiectum iustitiae*. Quaestio autem 58: *De iustitia, in duodecim articulos divisa*, cuius articulus primus: *Utrum convenienter definatur quod iustitia est constans voluntas...* «*Hic tractationis ordo et modus a theologis rectus aestimatur, cum, iuxta Aristoteles, virtutes ab earum obiectis specificentur*»⁵⁵. Ius ergo, iustitiae obiectum, primo cognoscere oportet antequam ipsa iustitia definiatur. Quid enim ius? Pro nostris ius est effectus coniunctionis duarum relationum: prima, subiectum

⁵¹ J. DRIEDO, *De libertate christiana*, Lovanii 1540; *De concordia liberi arbitrii et praedestinatione, libri duo*, Lovanii 1537.

⁵² MOLINA, *De iust. et iure*, II, 19, 8.

⁵³ SUÁREZ, *De leg.*, I, 2, 4, in Prooemio et saepissime.

⁵⁴ SUÁREZ, Prooemium *De leg.*

⁵⁵ MOLINA, *De iust. et iure*, I, 2, 1.

inter et obiectum, altera autem subiectum inter et communitatem. Utraque a parte subiecti, quin neque ab obiecto neque a communitate praescindatur, considerari potest, et ita ius subiectivum formaliter sumpsum habemus. Ius, obiective, est «iustum»: *To dikaiōn*. Ita Graecii philosophi. Cum ipsis latini: «*Iuris prudentia est ... iusti atque iniusti scientia*»⁵⁶. SANCTUS AUGUSTINUS ethicum sensum merito notat: «*Ius et iniuria contraria sunt, ius enim est quod iustum est*»⁵⁷. «*Quod iure fit profecto iuste fit, quid enim fit iniuste, nec iure fieri potest*»⁵⁸.

Ius quidem «iustum» est. Non autem, ita Nostri, omne iustum ius est. Et tunc de iustitia agentes, MOLINA et SUÁREZ plures varietates, quae ad nostra pertinent, evolvunt: «*Considerandum est autem iustitiae nomen dupliciter accipi*»⁵⁹, *primo pro omni virtute, quia omnis virtus respicit et facit aliquo modo aequitatem. Eius obiectum est quidquid est aequum et consentaneum rationi... Actum omnem virtutis*»⁶⁰. «*Secundo autem iustitia veluti specialis virtus, princeps inter cardinales virtutes, concipitur. Eius obiectum est aequum, cuius oppositum est iniquum, quod iniuriam alterius comparatione involvit*»⁶¹. Hoc magni momenti est, quia sub claro PLATONIS influxu ad illud subiectivum elementum ethicum iuris accedunt. Ad profundum STI. AUGUSTI» personalismum, qui, cum de iustitia agit, asserit: «*Nihil, ut arbitror, dicimus esse iustitiam nisi aequitatem... Sed quae in hac virtute*

⁵⁶ D. 1, 1, 10 (Ulpianus, I Reg).

⁵⁷ S. AUGUSTINUS, *In Psal.* 145 (circa finem).

⁵⁸ S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei*, XIX, 21.

⁵⁹ MOLINA, *De iust. et iure*, I, 1, 1; SUÁREZ, *De leg.*, I, 2, 4.

⁶⁰ MOLINA, *De iust. et iure*, I, 2, 7.

⁶¹ MOLINA, *De iust. et iure* I, 1, 11.

*aequitas nisi ut sua cuique tribuantur?»*⁶². «*Iam iustitia quid dicamus esse nisi virtutem qua sua cuique tribuuntur?»*⁶³. «*Iustitia dicitur qua sua cuique tribuimus»*⁶⁴. «*Iustitia porro ea virtus est quae sua cuique tribuit»*⁶⁵. Virtus autem pro SANCTO AUGUSTINO «*ordo est amoris»*⁶⁶. Amor enim in SANCTO AUGUSTINO cum «BONO» in PLATONE quodammodo coincidit, et sic Ethica vere metaphysica est, itaque «Esse Iuridicum» est metaphysicum. Tantum sic vera ontologia iuridica fundatur. Sic recte KANT ethica intelligitur⁶⁷. S. AUGUSTINUS in ipsa iuris obiectiva definitione alteritatem includit⁶⁸. In iure tam intellectum quam voluntatem extollit⁶⁹ et tamen, sicuti et MOLINA et SUÁREZ volutarista non est, nec minus adhuc intellectualista purus, positio ab ordine iuridico tam aliena⁷⁰. Quid «suum» est? Quid «suitas», Nostri quaerunt. ANTONIO PÉREZ duplicem «suitatem» distinguit. Prima consistit «*in ordinatione rei ad personam tamquam partis ad totum, aut accidentis ad subiectum»*⁷¹, altera vero est connexio rei cum persona tamquam cum fine⁷². Haec altera «suitas» est quae vere et proprie iuridica dici valet. LEYS iam ante scripserat: «*suum autem dicitur quod ita subiectum et*

⁶² S. AUGUSTINUS, *De quantitate animae*, 9, 15.

⁶³ S. AUGUSTINUS, *De libero arb.*, 1, 13, 27.

⁶⁴ S. AUGUSTINUS, *Enarratio in Psalm*, 83, 11.

⁶⁵ S. AUGUSTINUS, *De civit. Dei*, 19, 21.

⁶⁶ S. AUGUSTINUS, *De civit. Dei*, 15, 22.

⁶⁷ J.M. RODRIGUEZ PANIAGUA, *¿Derecho Natural o Axiología Jurídica?*, Madrid 1981.

⁶⁸ S. AUGUSTINUS, *De quantitate animae*, 9, 15.

⁶⁹ S. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, X, 10 et 11.

⁷⁰ F. CAMPO DEL POZO, *Filosofía del Derecho según San Agustín*, Valladolid 1966.

⁷¹ ANTONIO PÉREZ, *De iust. et iure*, I, 2.

⁷² ANTONIO PÉREZ. *De iust. et iure*, I, 3.

astrictrum est illi, cuius esse dicitur, ut possit de eo disponere proprio iure, non ex commissione alterius»⁷³. Iustitia porro est virtus, quae unicuique suum ius tribuit, «*id est, id tribuens quod ad ipsum spectat*»⁷⁴. Et res ita se habet, ut in ipsa subiectivi iuris notione proprietatis idea sit implicata⁷⁵. Ius ergo est «*suitatis*» reciprocata et convertibilis, id est, intersubiectiva ad personam relatio, nam «*eo ipso quod res aliqua simpliciter est alicuius, illeque proinde est dominus eius*»⁷⁶, quia «*nihil autem dicitur esse suum alicuius proprie nisi cum respectu ad libertatem et dominium*»⁷⁷. «*Dominium ex parte rei dicit subiectionem rei et veluti servitutem, qua domino est obstricta, et dicitur formaliter esse res mea, tua, sua; ex parte domini dicit... potestatem et ius*»⁷⁸. «*Dominium in genere duo includit, nempe potentiam quamdam et auctoritatem in rem vel personam... et subiectionem rei vel personae, talem, ut inde dicatur ipsam esse alterius*»⁷⁹. Optime de dominio in Nostris MIGUEL GÓMEZ DE LUNA Y ARELLANO scribit⁸⁰. MOLINA in initio disputationis primae Tractatus II «De Iustitia et iure» praecipuum iuris sensum esse subiectivum te-

⁷³ LEYS, *De iust. et iure*, III, 3, 1, 1.

⁷⁴ SUÁREZ, *De leg.*, I, 2, 5.

⁷⁵ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 3, 8; J. DABIN, *El derecho subjetivo*, Madrid 1935.

⁷⁶ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 5; SUÁREZ, *De leg.*, I, 2, 5. Quam diverso modo v.g. GRED, *Elementa Phil.*, II, Madrid 1951, qui in p. 387 ita: «*Hoc enim ipso, quod aliquid refertur ad me tamquam meum, ego ad illud referor tamquam dominus seu possessor eius*».

⁷⁷ ANTONIO PÉREZ, *De iust. et iure*, I, 3, 73.

⁷⁸ LEYS, *De iust. et iure*, II, 3, 2, 11.

⁷⁹ LEYS, *Ibidem*.

⁸⁰ M. GOMEZ DE LUNA Y ARELLANO, *De Iuris Ratione et Rationis Imperio*, Madrid 1630.

net: «*facultas aliquid faciendi, sive obtinendi, aut in eo insistendi, vel aliquo modo se habendi, cui sine legitima causa contraveniatur, iniuria fit eam habenti*». Eodem modo SUÁREZ: «*Iuxta posteriorem et strictam significationem solet proprie ius vocari facultas moralis quam unisquisque habet vel circa rem suam vel ad rem sibi debitam*»⁸¹. Et in libro II cap. 14 *De legibus* scribit: «*Diximus enim ius aliquando significare legem, aliquando vero significare dominium vel quasi dominium alicuius rei seu actionem ad utendum illa*». «*Ius enim interdum significat moralem facultatem ad rem aliquam, vel in re...*»⁸². Ecce «ius dominativum» vel ius-dominium vel ius facultas⁸³. Ius dominativum est ius utile⁸⁴. Ius est ergo «licere», «potentia», «potentia licita», «licentia», «facultas seu facilitas agendi», «potestas» «potestas agendi», etc., «*nam omne ius proprie dictum solum esse censemus illud, quod inest homini, tamquam proprium, quodve suo nomine operari potest*»⁸⁵. Sic ius a licentia seu permissione, quae ex voluntate seu ex concessione domini habetur, plane distinguitur⁸⁶. Eodem modo ius a licito iuridico distinguitur: «*Oportet separari usum facti licitum a iure utendi, quia potest esse consensus ab eo qui habet ius, non per iuris traslationem, aut donationem, sed per meram facti concessionem licitam, ac semper ab ipso dependentem*»⁸⁷. Itemque ius ab actu administra-

⁸¹ SUÁREZ, *De leg.*, II, 14, 16.

⁸² SUÁREZ, *De leg.*, II, 14, 16 et II, 17, 2 ea II, 18, 2; *Defensio fidei catholicae et apostolicae*, IV, 9, 11; *De statu religionis*, III, tract. VII, lib. VIII, 5, 12.

⁸³ SUÁREZ, *De opere sex dierum*, III, 16.

⁸⁴ SUÁREZ, *De leg.*, III, Tract. VII, lib. VIII, 5, 29.

⁸⁵ SUÁREZ, *ibidem*.

⁸⁶ SUÁREZ, *ibidem*.

⁸⁷ SUÁREZ, *ibidem*.

toris, procuratoris vel famuli distinguitur, nam non proprio nomine et iure fiunt, sed alterius. Ius enim seu dominium «*proprie non consistit in sola capacitate remota, quae respectu dominii solum est per modum potentiae passivae, sed in potestate quae est veluti principium actus imperandi vel utendi*»⁸⁸.

Si nunc intimam et metaphysicam Iuris Subiectivi naturam quaeramus, Nostri ita: «*Quod si quis petat quidnam sit ius seu facultas hactenus explicata, respondeo non esse aliud quam habitudinem seu relationem personae a qua habetur ad id ad quod est talis facultas*»⁸⁹. Ius ergo subiectivum est relatio, non autem actio. Actus primus, non actus secundus: «*dominium non dicit actum secundum, sed primum, unde usus, qui est veluti actus secundus, a dominio procedit*»⁹⁰. «*Ius revera differt ab illo actuali usu, potestque unum sine alio reperiri*»⁹¹. Hoc magni momenti est ut recte iuris subiectum voluntatisque munus in iure intelligantur. Ius essentialiter ontologicum subiectum personale est, id est, in persona, ens singulare, intelligens et liberum; ens-finis et propriis cum finibus et numquam medium; non ergo persona propter res, sed res omnes propter personas; non subiecta obiectis, sed obiecta subiectis personalibus, etsi aliquando personae, v.g. propter aetatem, subiec-

⁸⁸ SUÁREZ, *De opere sex dierum*, III, 16, 5.

⁸⁹ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 1, 2.

⁹⁰ SUÁREZ, *De opere sex dierum*, III, 16, 5.

⁹¹ SUÁREZ, *ibidem*. Ius subiectivum ergo est activa potestas, actus primus per modum principii activi, non autem potestas, id est voluntas (voluntaristica theoria) quae agit. Ius est intersubiectiva relatio, non autem iubere licere, sicuti, iuxta nos, non recte plures hodierni: FERRARA, *Teoría de las personas jurídicas*, Madrid 1923, 324-329; F. CARNELUTTI, *Teoría General del Derecho*, Madrid 1941, 180s; BALLADORE-PALLIERE, *Diritto soggettivo e diritto reale*, in *Ius* (1952) 1-30.

tiva iura quae habent, exercere non possint: «*Licet non utatur infans suo intellectu et libero arbitrio, sat est eum habere istas potentias, non enim diximus ad dominium requiri actualem usum, sed ipsas, esseque capacem dominii naturam rationalem*»⁹². E contra, dormientes nulla iura haberent, quod absonum est. Ius subiectivum, quia ius, est intersubiectivum, et coeteri alii pro cuiuscumque iure spondent. Coeteri obligatione tenentur aliorum ius servandi, nam ius essentialiter, sicuti iustitia est «ad alterum». Iuridicae relationis termini personae semper distinctae sunt. Iustitia enim, ita DANTE S. AUGUSTINUM sequens, est «*realis et personalis hominis ad hominem proportio*»⁹³. Iustum ergo, iustitiae obiectum, formaliter et proprie ordinem ad alium dicit. Ius formaliter est intersubiectivus seu interpersonalis ordo.

Unicum ergo iuridicum subiectum homo est, «*imago Dei*»⁹⁴. Homo est persona et, qua talis, ens perfectissimum in tota natura. Ens sui iuris, incommunicabile et in communione et ad communionem cum alteris vocatum; ens spirituale-corporale, liberum propriis cum finibus: «*Homo est finis omnium creaturarum, unde sequitur quod est dominus omnium*»⁹⁵. Homo fines proprios ac specificos habet, ergo et adaequata media ad hos fines et ad bonum commune obtinendum.

Quoad iuris obiectum magni momenti quaestio est «*liceatne unum hominem alteri dominari?*»⁹⁶.

⁹² MOLINA, *De iust. et iure*, II, 3, 2.

⁹³ DANTE, *De Monarchia*, II, 9.

⁹⁴ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 18, 2; SUÁREZ, *De opere sex dierum*, III, 16, 6.

⁹⁵ *Ibidem*.

⁹⁶ MOLINA, *De iust. et iure*, disput. 32-40.

Omnes, natura sua, liberi sunt; nullus propter alium creatus est; omnes a Deo tantum aequa lege pendent. Nemo ergo natura sua aliorum servus est. Historice tamen a lege positiva pendent et ob iustas causas legalis servitus stabilitur. Omnibus circumstantiis perpensis, bellum iustum inter iustas causas enumerari potest. Inimici victi servari possunt et debent, vel quod idem est, servi fieri possunt. Servitus etiam ut iusta pro gravi delicto poena imponi potest. Hoc Nostri revera tenent? Novus internationalis ordo instauratur, Novum christianum Ius Gentium habilitatur, quod tenet baptizatos numquam baptizatorum servos esse posse. Quoad infideles autem bonorum corporalium vel spiritualium, tam naturalium quam supernaturalium dominus esse potest. Servi dominis tantum in his servilibus operibus submittuntur, et quidem dummodo haec servilia opera fundamentalia bona non laedant. Hoc autem damnum veram iniuriam constitueret. Quoad honorem et bonum nomen MOLINA et SUÁREZ conferantur⁹⁷. Item quoad res quas propter homines Deus fecit⁹⁸.

Iuris terminus seu, ut dicunt, passivum subiectum solus homo semper est. Iustitia enim proprie sumpta, qua parte est iusti actus principium, inter aliqua supposita reperiri debet⁹⁹. Legale debitum, lex stricto sensu tantum hominum actiones regulat. Lex ergo qua Deus dicitur gubernare res naturales seu ratione carentes metaphorice lex seu praeceptum appellatur¹⁰⁰. Inferiores creaturae non sunt capaces propriae

⁹⁷ MOLINA, *De iust. et iure*, IV, 1, 49; SUÁREZ, *De statu relig.*, VII, VIII, 4, 3-8.

⁹⁸ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 3 et 7; SUÁREZ, *De op. sex dierum*, III, 16, 17.

⁹⁹ SUÁREZ, *De virtute et statu relig.*, I, 4, 11.

¹⁰⁰ SUÁREZ, *Tract. de dom.*, II, 1.

legis, quia non sunt capaces actuum moralium¹⁰¹. Lex ius dicitur a iusto, quia est regula iusti¹⁰². Lex dictat quod iustum est; est concessiva iuris¹⁰³.

Ius ergo entitas moralis est, seu, ut melius moralitas a iuridicitate distinguatur, entitas ethica. Omnia et singula iuris elementa iuridica tantum sunt. Ius numquam physicum factum esse potest. Proprietas non est physica res, sed rei relatio ad subiectum personale vel melius interpersonale. Dominium minime simplex factum est, sed iuridica potestas. Domini usus iuridicum actum constituit. Ad dominium ius utendi dicta facultate requiritur, quod ius moralem potestatem merito appellamus, quia non addit homini aliquam entitatem vel qualitatem, sed solam moralem facultatem ut licite et sine alterius iniuria rebus illis, quarum est dominus, uti possit¹⁰⁴.

Quoad iuris exemplarem causam, haec causa est forma quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui sibi finem determinat¹⁰⁵. Forma est quae archetypum adumbrat, et, qua talis, ad formalem causam assimilatur; ipsa est agentis archetypus eius actionem dirigens, ergo et efficiens causa; et denique idea est in opere producenda, ergo et finalis causa. Eius locus in artificis mente invenitur et ita formalis et intrinseca causa et veluti efficientis causae pars et participatio. «*Operari sequitur esse*». Operandi ordo ad ipsum essendi ordinem pertinet. Intelligentia ergo entia intelligenter operari debent, id est, idea et ideis illuminata ac directa. Clarum est efficientem causam

¹⁰¹ SUÁREZ, *De leg.*, I, 6, 1; II, 2, 11 et 13.

¹⁰² MOLINA, *De iust. et iure*, I, 2, 1.

¹⁰³ SUÁREZ, *De leg.*, I, 15, 12.

¹⁰⁴ SUÁREZ, *De op. sex dier.*, III, 16, 9.

¹⁰⁵ S. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio*, 83, 46.

esse effectui tribuere, ergo perfectio, quam effectui communicat, in causa addesse oportet. In rationalibus autem entibus effectus perfectio illa est mentis species seu intellectualis forma, quae merito ratio dici valet.

Sic, PLATONE praesertim duce, SUÁREZ procedit¹⁰⁶. A PLATONE, per S. AUGUSTINUM, S. ISIDORUS HISPALENSIS dicit: «*Ius generale nomen est, lex autem iuris species*»¹⁰⁷. Intelligibilis species est idea, «*ordinatio rationis*». Idea practica, quae a «Bono» procedit. Idea non a sensibus abstracta per intellectum, sed idea, quae realitatem gignit ita, ut sensibilis realitas veluti imitatio et ideae participatio sit. Nisi ab omnibus illa «mimesis» et «metesis» PLATONIS recte intelligantur, nisi iuridica PLATONIS metaphysica penetretur, ad physicam iuridicam, ad iuridicum positivum et ad ingenuum obiectivismum necessario devenitur. PLATONIS ideae autem mere logicae non sunt, sed ontologicae, proindeque eius altissima intuitio verum metaphysicum obiectivismum constituit, sine quo aliae obiectivismi species magis ad physicam quam ad veram metaphysicam accedunt. Et haec est ratio cur ARISTOTELES et DIVUS THOMAS clariores evadunt, si sub acutissima PLATONIS et STI. AUGUSTINI luce explicantur.

Lex non tatum «species» sed «speculum» dicitur. Dum speculum inspicimus, imaginem contemplamur. Ius est enim imago speculi quod est ipsa lex. Imago autem primigenium fontem imitatur, ius originali idea participat. Sicuti ergo lex, quia ius causat, ius dicitur, sic ius vocari potest lex, quia legem repetit. Si vero ius legem repetit, suo modo legem continet. Lex enim rationis ordinatio est, communitatis praeceptiva nor-

¹⁰⁶ SUÁREZ, *De leg.*, I, 2, 7 et 9.

¹⁰⁷ S. ISIDORUS, *Etymologiae*, V, 3.

ma. Ius etiam rationis practicae ordinatio est, iusta rerum ad personas inter personas vinculatio, actionum interpersonalium iusta coordinatio. Ius est uniuscuiusque erga alteros «suum», quia unumquemque erga alteros ordinat. Ius, quia iustum, quid obiectivum est, sed exemplares ideae etiam obiectivae sunt et simul subiectum, activitas nempe, dynamis et non quid staticum. Praecise in hoc, in ideae Subiecti esse, metaphysicum Iuris Subiectivi fundamentum invenitur. Hoc cum PLATONE et STO. AUGUSTINO, SPINOZA et HEGEL bene intellexerunt. In PLATONIS Republica, in profundissimo PARMENIDES, sofista, politico totius rectae iuridicae dialecticae fons et sensus invenitur. In illa idearum activa et dialectica communione, de qua PLATO in PARMENIDES praesertim, analogiae iuris radix adest. Indicare ergo mihi liceat: ad PLATONEM accedamus.

Idea-Subiectum etiam finalis causa est. Idea est finis intentio, bonum obtinendum. Effectus est finis instrumentum, instrumentum ad finem. Bonum est prima idea, quae omnia movet et agentes ad agentum movet. «*Quod est ultimum in executione est primum in intentione*». «*Omnis virtus est ordo amoris. Et amor meus pondus meum*». Ita S. AUGUSTINUS. De «bono communi» ut fine opportune SUÁREZ¹⁰⁸. Et alibi distinguit:

«Aliud vero est bonum commune solum secundario et quasi per redundantiam; immediate autem bonum privatum est, quia sub dominio privatae personae et ad eius commodum proxime ordinatur; dicitur autem etiam commune, vel quia respublica habet ius quoddam altius in bona propria singularum personarum, ut eis uti possit, quando illi fuerint necessaria, vel etiam quia eo ipso, quod unaquaeque perso-

¹⁰⁸ SUÁREZ, *De leg.*, III, 11, 7.

na est pars communitalis, bonum uniuscuiusque, quod in damnum aliorum non redundat, est commodum totius communitalis. Sic dicunt iura expedire reipublicae ut cives sint locupletes, et ut nemo male re sua utatur»¹⁰⁹.

De «titulo» seu de causa propter quam id quod ei confertur est ei debitum, optime MOLINA¹¹⁰. Eius personalismus in refutando GERSON aliosque doctores parisienses refulget. Iuris titulus est eius radix, origo, fundamentum, basis, ratio; est ratio fundandi relationem dominii aut iuris. Est illa in persona obiectiva ratio, propter quam ius seu dominium personae eiusque finibus datur. Iuris ergo titulus cum iuridicae capacitatis fundamento minime convenit. Persona, omnis homo quia persona, radicitus capax est ut iurium subiectum. Iuridicae capacitatis radix ipsa suprema personae dignitas est.

Aliqua concreta personae iura

Concreta iurium, ratione obiecti, ordinatio momentum pro Nostris praesertim practicum habet. Sed non tantum, nam eorum momentum etiam essentiale est. Iura enim personae sunt potestates in seipsam, iura hominis in seipsum, personalitatis iura, etc. Haec iura Nostri saepe vocant ius in propriam vitam, ius in propria membra, ius libertatis, vel iura spiritualia, iura corporalia, iura temporalia, etc. vel generico modo, potestas in se ipsum¹¹¹. Inde ab initio Nostri

¹⁰⁹ SUÁREZ, *De leg.*, I, 7, 7.

¹¹⁰ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 4, 15.

¹¹¹ MOLINA, *De iust. et iure*, III, 1, 1; SUÁREZ, *De leg.*, II, 14, 16 et III, 3, 6; *De statu relig.*, VII, VIII, 4, 12.

haec iura in iura circa bona corporis et iura circa bona animae dividunt.

Iura circa bona corporis in ius in propriam vitam, propriam salutem, propria membra, ius in agilitatem, pulchritudinem, robur, etc. Ius libertatis externae seu ad extra eminet. In hoc externae libertatis iure enumerant: ius proprias actiones disponendi, contractualem libertatem, matrimonialem et sexualem libertatem, docendi et discendi libertatem, credendi libertatem, etc.¹¹².

Iura circa bona animae in iura supernaturalia et naturalia subdividuntur. Supernaturalia ad gratiam, virtutes et merita referuntur. Naturalia autem iura sunt circa animae potentias, circa animae qualitates et operationes, vgr. circa scientiam, artem, naturales et morales virtutes, etc.

Magni etiam momenti pro Nostris est actio in rem et actio in personam. Prima est iuridica affirmatio rem vel ius ad aliquam personam pertinere; altera autem est affirmatio aliquam personam iuridice esse obligatam erga aliam. Prima ergo iura in rem, altera in personam incidunt. De his iuribus speciali modo MOLINA agit¹¹³. Ius in re est ius circa rem aliquam, ad quod res ipsa devincta est¹¹⁴. Ius ad rem est ius circa rem aliquam ad quod res ipsa nondum devincta est¹¹⁵. In iuribus in re dominii obiectum ipsa res est. In iuribus autem ad rem directum dominii obiectum est ipsa persona libere ad rem (actiones effectusque)

¹¹² MOLINA, *De iust. et iure*, III, 1.

¹¹³ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 2; II, 174, 2; II, 727, 1. Fere omnes «De Iustitia et Iure» auctores posteriores MOLINA saeculantur.

¹¹⁴ *Ibidem*.

¹¹⁵ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 2, 2.

ordinata. Quoad haec iura in rem disputatur. MOLINA hoc exemplum adhibet: in emptionis-venditionis contractu emptor, dummodo venditor rem conventam ei non tradat, ius in re non acquirit, sed ius in rem. Non est enim res quae obligata vel submissa est, sed venditor. Inde realis actio in re emptori non competit, sed personalis actio in venditorem ut rem emptori tradat¹¹⁶. In iure ad rem obiectum est ius in personam in ordine ad rem. Iura ergo in re inter et iura ad rem differentia, non autem insociabilitas adest. Haec sufficiant. Ad conclusionem ergo iam nunc mihi accedere liceat.

Conclusio

Qui Nostrorum doctrinae spiritum et primariam intuitionem agnoscant, tum in «*De Auxiliis*» controversia, tum in iuridico et morali Probabilismo, tum in ipsius STI. IGNATII Spiritualibus Exercitationibus, tum denique in constanti docendi methodo a Nostris adhibita, aliquem et quidem rectum Subiecti et Libertatis principatum libenter invenient.

Inde ab initio Nostri rigidi iuridici Obiectivismi incommoda perspexerunt. In iuridico enim obiectivismo Nostri et nos cum ipsis illam obiectivitatem, ut ita dicam «obiectivisticam» merito reiecerunt. Nimis enim est aliquem sensum, praesertim ethico-iuridicum in ipsis rebus invenire sine essentiali ad subiectum relatione. Nimis audax est obiectivum ordinem sine inventore invenire. Periculosum supra modum est obiectivas affirmationes tenere, neglecto

¹¹⁶ MOLINA, *De iust. et iure*, II, 2, 3.

afirmante. Item periculosum evadit obiectivum ordinem iam essentialiter in se constitutum admittere, praetermissa hominis libera et a Deo volita cooperatione. Obscura ipsa res iusta manet sine praevia iustitia, quae quidem necessario a priori est. Absolum ipsum Naturale Ius evadit, quin natura cum humana historia adunetur. Eodem modo absonum videtur de vera iuridica lege loqui, quin ipsa lex humanis subiectis appareat et ab ipsis admittatur. Ius et Natura non facile coadunantur, optime tamen Ius et Subiectum. Frequens aliquorum affirmatio humanitatem in statu naturae inveniri vel posse aliquando inveniri est contradictio in terminis. Theologice scimus ordinem naturalem numquam de facto sed neque de iure fuisse. Naturalis ordo quaedam abstractio, etsi quidem licita, est, saltem in nostra theologia catholica. Historice conceptio de aliquo hominis naturali statu prorsus falsa est, nam historica esse non potest. Philosophice denique est vera in terminis contradictio, nam natura humana essentialiter personalis est, et persona, semper subiectum, coeteras alias creatas naturas longe superat. Naturae ut tali nullum ius pertinet, sed personae.

Quod obiectivum dicitur est alicui subiecto obiectivum, quin e contra in subiectivum incidatur. Quae «objecta» vocantur, minime realia plene sunt, nisi de obiectis formalibus, non quidem in kantiano sensu, agatur. Illa enim obiecta inter et subiecta disiunctio mera abstractio est et quidem impossibilis, cum talis abstractio a subiecto tantum fieri valeat. Hac de causa obiectum iustum proindeque ipsum Ius Obiectivum quaedam abstractio est, cum de iustitia et iure sine intersubiectiva relatione, sine subiectis, nec loqui liceat.

Quod existit semper realitas subiectivo-

objectiva est, et, cum non homines propter res sed res propter homines, subiectum ontologicum et deontologicum primatum supra res habet et morali et iuridica libertate exercere debet. Subiectum ergo eisdem quibus res reguntur normis regi non potest. Vera iuris objectivitas in intersubiectivitate invenitur. Ius enim est intersubiectiva relatio. Iuridicitas non ab objecto iusto, sed e contra objectivitas iusta a iusta iuridicitate desumitur. Nec adeo clarum est actiones ab objecto specificari, nisi de aliqua practica specificatione agatur, non autem de radicali et primaria specificatione, necessario praevia objecto, cuius prima specificatio et sensus ultimatim a Deo, Subiecto, accipit. Iuris iustitia non de objectis sed de actionibus intersubiectivis pradicatur, quae actiones procul dubio objectum objective iustum, recte intellectum, habere debent, sed etiam entia et libera subiecta, quae a Deo pendentia ordinem iustum efformare debent. Non objecta ut sic relationem gignunt, sed relatio est voluntaria et libera ad proprium objectum intersubiectivitas. Objecta enim in se magis ad oeconomicum ens pertinent, dum iuridicitas in illa unius ad alterum relatione consistit, semper, ut patet, lege naturali et aeterna lege pre oculis habitis. Quaestio ergo forse ultimatim a recta subiectivo-objectiva legis naturalis et aeternae conceptione pendeat.

Nostri ergo libertatis primatum, sed libertatis Deo ob-ligatae, uti necessarium fundamentum prae-viamque conditionem ad omnem ethico-iuridicum ordinem, merito retinuerunt. Dum crudum Nominalistarum voluntarismum strenue reiecerunt proindeque in recto objectivismo manserunt, optime etiam perspexerunt minime de stricta ethico-iuridica lege agi posse, si rationalis voluntas in ea partes non habeat.

Ethico-iuridicus ordo est «*quod esse debet*» et hoc prior est quam simpliciter in natura esse, nam est norma. Nunc autem esse huius «*debet esse*» sine Deo, Subiecto, et sine homine Deo religato, sensu caret.

Nostri, summatim, hodierni momenti Iuris Subiectivi primatus praecursores nominari valent. Libertatis ius, personae ius, persona ipsa cum aliis existens, coexistentia nempe factum ac structura primigenia est sine qua ius nec concipi potest. In personarum coexistentia a Deo volita et in natura personali impressa et in rerum ad personas ordinatione ordo iuricus fundatur, ordo non obiective finitus sed a personis obiective efficiendus, in quo obiecta subiectis ordinantur et ab ipsis subiectis iustis iuridicam censuram accipiunt. Persona iuris immediatum principium est finis. Si finis, ergo intentionale iuris principium. Optime et quidem primus hoc PLATO vidit. Bonum, et ultimatim Deus, non est reale obiectum sed Subiectum infinitae «obiectivitatis», a quo obiecta quamdam moralitatem accipiunt. Vera structuralis iustitia sine iustitiae virtute, sine personis iustis, quid imaginarium est. Est «*debet esse*» quod efficiendum est. Obiectum in se dicere iustum sine iustitia, quae subiectum, Deum nempe et hominem supponit, item magna chimaera est. In actionibus vg. obiective et subiective dubiis non lex sed libertas ad legem sequendam vel non praevalet, nam libertatis ius certum ac praevium est. Optimae STI. IGNATII Exercitationes sine capaci subiecto ad nihil omnino inserviunt. Et hoc semper STUS. IGNATIUS in mente clare habuit et hoc Exercitationum moderatoribus sedulo suadet.

LUIS VELA, S.J.